



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Qvaestio Decima. De scientia beata animæ Christi in quatuor articulos
diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82325](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82325)

Quorundam
solutio.

quam corpus. Huic argumento respondent quidam recentiores dicentes scientiam hanc beatissimum infundere, quia non possunt illam acquirere; Sed Christo Domino licet esset beatus, non fuit infusus, quia erat in statu quo posset eam acquirere; & ideo debuit illam acquirere in instanti; Sic enim impletum fuit eius naturale desiderium sciendi, & naturalis capacitas intellectus. Ad confirmationem dicunt beatitudinem reformare omnes defectus naturales, non tamen per solam infusionem scientiæ naturalis, sed etiam per cooperationem ad acquisitionem illius in instanti. Sed in hac responsio duo sunt falsa & contraria doctrinæ D. Thom. Nam primo S. Tho. in 1. p. q. 89. art. 3. docet animas separatas per species infusas per se de omnibus naturalibus cognitionem habere non certam & propriam, sed communem & confusam, & ibidem ad quartum ita respondet: *Cognitio, quæ acquiritur per studium, est propria & perfecta, illa autem est confusa; unde non sequitur, quod studium addiscendi sit frustra; quod idem expressius asserit in quæst. disput. de anima q. 2. art. 18. ad 2. cuius verba sunt: Dicendum, quod in illis, qui scientiam aliquorum naturalium scibilibus in hac vita acquisierunt, erit determinata cognitio in speciali eorum, quæ hic acquisierunt; aliorum vero vniuersalis, & confusa; unde non erit inutile eis scientiam acquisiuisse: nec est inconueniens, quod vtræque scientia eorundem scibilibus adsit eidem: cum non sint ambe vnius rationis. hæc ibi: quibus verbis duplicem distinguit scientiam in animabus separatis; vnam omnibus communem, quæ est vniuersalis & confusa; & hanc ibidem in corpore & art. 15. eiusdem quæst. & 1. p. loco notato declarat esse scientiam infusam per se & eiusdem rationis cum scientia Angelorum; alteram distinctam & claram illis solum conuenientem, quæ eam propriis studiis & industria, dum essent in hac vita, sibi compararunt. Deinde falsum est & D. Th. asserere animam Christi scientiam hanc distinctam acquisiuisse aut acquirere potuisse propriis actibus in primo conceptionis instanti, vt ostendimus supra.*

Vera solut.

Ad argumentum igitur dico falsam esse maiorem loquendo de scientia ex genere suo acquisita. Ad omnes eius probationes simul dico, desiderium hominis naturale & capacitatem animæ naturalem in ordine ad scientiam naturalem ex genere suo acquisitam excellenter suppleri per scientiam beatam, quæ beati omnes distincte vident in Verbo rerum omnium species, proprietates & indiuidua ad ordinem & perfectionem vniuersi pertinentia vt ait S. D. in 1. p. q. 12. art. 8. ad 4. & in 3. cont. gent. cap. 59. quam doctrinam in dict. art. 8. latissime declarauimus in 4. cont. ad illum art. 9. Secundum est, & sequent.

Obi. 1. cont.
conc. ult.

CONTRA vltimam conclus. producant oppositæ sententiæ defensores auctoritatem Lyrani super illud Isaia 7. vt sciat reprobare malum, & eligere bonum, vbi ait Christum à principio conceptionis scientiam hanc acquisiuisse, & addunt Burgensem ibi additione tertia dicentem in Hebræo sic haberi: butyrum & mel comeder, quia scit eligere bonum. Ex quo sic arguunt: Propheta loquitur ibi de scientia naturali Christi, vt docent Basilii ibi & August. 8. super Gen. ad litteram cap. 14. sed illa fuit in Christo, antequam comederet mel & butyrum, qui sunt cibi infantiles, quibus vescuntur pueri statim à principio suæ natiuitatis; ergo ante illud tempus Christus habuit istam scientiam. Confirmatur; nam Hieronym. ibi docet Christum illam habuisse in ipsa infantia, quando panis inuoluebatur; ergo illam etiam habuit in primo instanti conceptionis, probatur consequentia; quia est eadem ratio de ætate infantili & de primo instanti conceptionis, Naz. in D. Thom. 3. partem.

Conf.

A Respon. Lyrani manifeste loqui de scientia infusa, quam putat cum Scoto non differre à scientia naturali, & de eadem loquitur Hieronym. Basil. autem & August. loquuntur de scientia experimentalis, sed non iuxta lectionem Burgenfis, sed secundum communem translationem. Admissa vero lectione Burgenfis, dico cum eodem Burgenfi loco notato Christum ante natiuitatem ex vtero habuisse plenitudinem scientiæ diuinæ & scientiæ infusæ, quibus omnia cognoscebat. Deinde dico data eadem expositione Christum, antequam butyrum & mel comederet (quod fuit post aliquot menses à die natiuitatis) habuisse scientiam experimentalem ad actus prudentiæ necessariam, quæ posset eligere bonum, non tamen habuisse scientiæ ex genere suo acquisitæ perfectionem; Postremo dico longe diuersam esse rationem de primo instanti conceptionis Christi, & de infantili ætate post natiuitatem ex vtero: nam in instanti illo nullum Christus habere potuit vñm sensus vñs, qui est omnium sensuum nobilissimus, multo plus quam aliis deseruiens inuentioni scientiæ, quem tamen vñm habuit egressus ex vtero.

Solut.

B Secundo arguunt: Si ponamus Christum scientiam hanc acquisiuisse in primo suæ conceptionis instanti, excludimus ab eo omnem ignorantiam etiam negatiuam rerum naturalium, & negationem scientiæ naturalis à principio suæ conceptionis, supponimusque ex tunc illum fuisse plenum scientiæ & veritatis naturalis, vt pote qui habebat omnes thesauros sapientiæ & scientiæ Dei, & saluamus intellectum eius secundum vim naturalem nunquam fuisse in potentia ad actum primum & imperfectum; ergo ita asserendum est. Respon. nullam esse consequentiam; quia impossibile fuit, vt ostendimus, Christum hominem in primo illo instanti propriis actibus acquirere sibi scientiam naturalem, & per hoc soluitur argumentum, quod deduci posset ex quatuor modis supra confutatis, quibus doctores prædicti docent potuisse Christum acquirere sibi scientiam naturalem in primo suæ conceptionis instanti.

Obi. 2.

Solut.

QVÆSTIO DECIMA.

D De scientia beata animæ Christi in quatuor articulos diuisa.

D E inde considerandum est de qualibet prædictarum scientiarum. Sed quia de scientia diuina dictum est in prima parte, restat nunc dicendum de aliis tribus, primo de scientia beata; secundo de scientia indita; Tertio de scientia acquisita.

Sed quia etiam de scientia beata, quæ in Dei visione consistit, plura dicta sunt in prima parte: hic illa sola videntur dicenda, quæ proprie pertinent ad animam Christi.

Circa hoc ergo queruntur quatuor.

Primo, vtum anima Christi comprehenderit Verbum, siue diuinam essentiam.

Secundo, vtum in Verbo cognouerit omnia.

Tertio, vtum anima Christi in Verbo cognouerit infinita.

Quarto, vtum videat Verbum, siue diuinam essentiam clarius qualibet alia creatura.

Ratio ordinis.

EXPEDITIS quæstionibus an est de singulis scientiarum generibus Christo secundum humanitatem conuenientibus; nunc ab ea, quæ prima omnium est & diuinæ scientiæ similior, inchoans tractat quæstionem quid est in tribus prioribus

Nn 3 articu-

articulis; quaestionem autem qualis, vel quomodo est, in ultimo articulo; circa primam vero quaestionem tractat primo quid est scientia Christi beate in ordine ad eius obiectum principale, quod est essentia diuina, in primo articulo; Deinde in ordine ad obiectum secundarium in aliis duobus sequentibus articulis, & prius considerando obiectum quo ad substantiam, siue quo ad res visas in secundo articulo; posterius autem quo ad accedens, quod est infinitas, in tertio articulo; demum in ultimo articulo tractat quaestionem qualis sit haec scientia quaerens, Vtrum anima Christi videat Verbum seu diuinam essentiam clarius qualibet alia creatura. Vel dicas in tribus primis articulis agi de scientia beata animae Christi ex parte obiecti, in ultimo autem ex parte potentiae, siue luminis quod se tenet ex parte potentiae.

ARTICVLVS I.

Vtrum anima Christi comprehenderit Verbum, siue diuinam essentiam.

AD primū sic proceditur. Videtur, quod anima Christi comprehenderit, & comprehendat Verbum, siue diuinam essentiam. Dicit enim Isidorus. quod Trinitas sibi soli nota est, & homini assumpto. Igitur homo assumptus communicat cum sancta Trinitate in illa notitia sui, quae est sancta Trinitati propria. Huiusmodi autem est notitia comprehensionis. Ergo anima Christi comprehendit diuinam essentiam.

Præterea, Magis est vniri Deo secundum esse personale, quam secundum visionem, sed sicut Damas. dicit in 3. lib. tota diuinitas in vna personarum est vnita humane naturae in Christo. Multo ergo magis tota natura diuina videtur ab anima Christi: & ita videtur, quod anima Christi comprehendat diuinam essentiam.

Præterea, illud, quod conuenit filio Dei per naturam, conuenit filio hominis per gratiam: vt August. dicit in primo de Trinit. Sed comprehendere diuinam essentiam, competit filio Dei per naturam. Ergo filio hominis competit per gratiam. Et ita videtur, quod anima Christi per gratiam Verbum comprehendat.

Sed contra est, quod Augustinus dicit in lib. 83. Quod se comprehendit, finitum est sibi. Sed essentia diuina non est finita in comparatione ad animam Christi, cum in infinitum eam excedat. Ergo anima Christi non comprehendit Verbum.

Respondetur dicendum, quod sicut ex supra dictis patet sic facta est vnio naturarum in persona Christi, quod tamen proprietates vtriusque naturae inconfusa permanferit, ita scilicet quod increatum manserit increatum & creatum manserit infra limites creaturae: sicut Damas. dicit in tertio lib. Est autem impossibile, quod aliqua creatura comprehendat diuinam essentiam (sicut in prima parte ostensum est) eo quod infinitum non comprehenditur à finito. Et ideo dicendum, quod anima Christi nullo modo comprehendit diuinam essentiam.

Ad primum ergo dicendum quod homo assumptus conformatur* diuinae Trinitati in sui cognitione, non ratione comprehensionis, sed ratione cuiusdam excellentissimae cognitionis praeter ceteris creaturis.

Ad secundum dicendum, quod nec etiam in vnione, quae est secundū esse personale, natura humana comprehendit Dei verbum, siue naturam diuinam. Quae quamuis tota vnita fuerit humane naturae in vna persona Filij, non tamē fuit tota virtus diuinitatis ab humana natura quasi circumscripta. Vnde Augustin. dicit in Epistola ad Volustianum, Scire te volo, non hoc Christianam habere doctrinam, quod ita Deus infusus sit carni, vt curam gubernanda vniuersitatis, vel deseruerit, vel amiserit, vel ad illud corpusculum quasi contractam, collectamque transfulerit. Et similiter anima Christi totam Dei essentiam videt, non tamen

eam comprehendit: quia non totaliter eam videt, id est, non ita perfecte, sicut visibilis est: vt in prima parte exposi- tum est.

Ad tertium dicendum, quod verbum illud August. est intelligendum de gratia vnionis, secundum quam omnia, quae dicuntur de filio Dei secundum diuinam naturam, dicuntur de filio hominis, propter identitatem suppositi. Et secundum hoc vere potest dici, quod filius hominis est comprehensor diuinae essentiae: non quidem secundum animam, sed secundum diuinam naturam. Per quem etiam modū potest dici, quod Filius hominis est creator.

Sensus questii.

QUID SIT intellectu aliquid comprehendere, & in quo posita sit ratio comprehensionis essentiae Dei, declarauimus in 1. p. q. 12. art. 7. & explicat late Suarez hic disp. 36. sect. 2. §. Sed interrogo. Nomen autem Verbi hic sumitur essentialiter, de qua significatione scripsimus in eadem 1. par. q. 34. art. 1. Contr. 2.

Forma Textus.

CONCL. est: Anima Christi nullo modo comprehendit diuinam essentiam; Probatur: Impossibile est, quod aliqua creatura comprehendat diuinam essentiam; ergo. Antecedens probatur: quia infinitum non comprehenditur à finito. Consequentia vero probatur: Quia sic facta est vnio naturarum in Christo, vt tamen proprietates vtriusque naturae inconfusa permanferit, ita scilicet vt increatum manserit increatum, & creatum manserit infra limites creaturae, vt ait Damas. cenus.

Expositio Textus.

CONCLVS. S. D. esse fidei dogma docent Sotus in 4. sent. dist. 49. q. 3. art. 1. Medina & Aluarez super hoc art. & Suarez disp. 36. sect. 1. quod probat ex diuinis scripturis, Patribus & Conciliis, & ante eum Bann. & Val. 1. part. q. 12. art. 7. à quibus dissentit Valq. quia comprehensionis nomen accipit in alio sensu, quem in allegato art. 7. falsum esse probauimus.

Aduerte praeterea dictum Isidori citatum à D. Th. in primo argumento non esse desumptum ex lib. 1. de summo bono cap. 3. ibi namque est alia verborum forma longe diuersa; sed habentur illa verba formaliter in cap. 42. eiusdem authoris in Exodus. Ex quo patet vanum esse laborem, & incautam censuram Suar. circa responsum S. D. ad primum, & circa sensum verborum Isid. vt etiam hic annotauit Aluarez.

ARTICVLVS II.

Vtrum anima Christi in Verbo cognouerit omnia.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod anima Christi in Verbo nō cognoscat omnia. Dicitur enim Marci 13. De die autem illa nemo scit, neque Angeli in caelo, neque Filius nisi Pater. Non ergo omnia scit in Verbo.

Præterea, Quanto aliquis perfectius cognoscit aliquid principium tanto plura in illo principio cognoscit. Sed Deus perfectius videt essentiam suam, quam anima Christi. Ergo plura cognoscit in Verbo, quam anima Christi. Non ergo anima Christi in Verbo cognoscit omnia.

Præterea, Quantitas scientiae attenditur secundum quantitatem scribibilium. Si ergo anima Christi sciret in Verbo omnia, quae scit Verbum, sequeretur, quod scientia animae Christi aequaretur scientiae diuinae, creatum videlicet increato: quod est impossibile.

Sed contra est, quod super illud Apoc. 5. Dignus es agnoscere, qui occisus es, accipere diuinitatem, & sapientiam, Glossa dicit, id est, omnium cognitionem.

Respon-

Respondeo dicendum, quod, cum queritur, an Christus A
cognoscit omnia in Verbo, ly omnia, potest dupliciter ac-
cipi. Vno modo proprie, vt distribuat pro omnibus, quæ
quocunque modo sunt, vel erunt, vel fuerunt, vel facta,
vel dicta, vel cogitata à quocunque, secundum quodcun-
que tempus. Et sic dicendum est, quod anima Christi in
Verbo cognoscit omnia. Vnusquisque enim intellectus crea-
tus, in Verbo cognoscit, non quidem omnia simpliciter,
sed tanto plura, quanto perfectius videt Verbum. Nulli
tamen intellectui beato deest, qui cognoscat in Verbo o-
mnia, quæ ad ipsum spectant. Ad Christum autem, & ad
eius dignitatem spectant quodammodo omnia, inquan-
tum ei subiecta sunt omnia. Ipse etiam est omnium iudex
constitutus à Deo, quia filius hominis est: vt dicitur Io. 5.
Et ideo anima Christi in Verbo cognoscit omnia existen-
tia, secundum quodcunque tempus, & etiam hominum
cogitata, quorum est iudex: ita vt, quod de eo dicitur Io. 2.
Ipse enim sciebat, quid esset in homine, potest intelligi
non solum quantum ad scientiam diuinam, sed etiam
quantum ad scientiam animæ eius, quam habet in Verbo.
Alio modo ly omnia, potest accipi magis large, vt extendatur
non solum ad omnia, quæ sunt actus secundum quod-
cunque tempus, sed etiam ad omnia, quæcunque sunt in
potentia nunquam reducenda, vel reducta ad actum. Ho-
rum autem quedam sunt in sola potentia diuina: & hu-
iusmodi non omnia cognoscit in Verbo anima Christi. Hoc
enim esset comprehendere omnia, quæ Deus potest facere:
quod esset comprehendere diuinam virtutem, & per con-
sequens diuinam essentiam. Virtus enim qualibet cognos-
citur per cognitionem omnium, in qua potest. Quedam
vero sunt non solum in potentia diuina, sed etiam in po-
tentia creatura: & huiusmodi omnia scit anima Christi
in Verbo. Comprehendit enim in Verbo omnis creaturæ
essentiam, & per consequens potentiam, & virtutem, &
omnia, quæ sunt in potentia creaturæ.

Ad primum ergo dicendum, quod illud Verbum intelle-
xerunt Arrius, & Eunomius, non quantum ad scientiam
animæ, quam in Christo non ponebant (vt supradictum
est) sed quantum ad diuinam cognitionem Filij, quem
ponebant esse minorem Patre, quantum ad scientiam. Sed
istud stare non potest: quia per verbum Dei facta sunt om-
nia, vt dicitur Ioan. 1. Et inter alia, facta sunt etiam per
ipsum omnia tempora. Nihil autem per ipsum factum est,
quod a eo ignoretur. Dicitur ergo nescire diem, & horam
iudicij, quia non facit scire. Interrogatus enim super hoc
ab Apostolis Act. 1. hoc eis noluit revelare. Sicut contra-
rio legitur Genes. 22. Nunc cognoui, quod timeas Deum,
id est nunc cognoscere feci. Dicitur autem Pater scire: quia
huiusmodi cognitionem tradidit Filio. Vnde in hoc ipso,
quod dicitur, Nisi Pater, datur intelligi quod Filius co-
gnoscit, & non solum quantum ad diuinam naturam, sed
etiam quantum ad humanam: quia vt Chrysost. argu-
mentatur, si Christo homini datum est, vt sciat, quali-
ter oporteat iudicare, quod est maius, multo magis datum
est ei scire, quod minus est scilicet tempus iudicij. Origenes
tamen hoc exponit de Christo secundum corpus eius, quod
est Ecclesia, quæ hoc tempus ignorat. Quidam autem di-
cunt hoc esse intelligendum de filio Dei adoptiuo, non de fi-
lio naturali.

Ad secundum dicendum, quod Deus instantius perfe-
ctius cognoscit suam essentiam, quam anima Christi, quod E
eam comprehendit. Et ideo cognoscit omnia, non solum,
quæ sunt in actu, secundum quodcunque tempus, quæ di-
citur cognoscere scientia visionis: sed etiam omnia, quæcun-
que ipse facere potest, quæ dicitur cognoscere per simplicem
intelligentiam, vt in primo habitum est. Scit ergo anima
Christi omnia, quæ Deus in seipso cognoscit per scientiam
visionis: non tamen omnia, quæ Deus in seipso cognoscit
per scientiam simplicis intelligentiæ. Et ita plura scit Deus
in seipso, quam anima Christi.

Ad tertium dicendum, quod quantitas scientiæ non
solum attenditur secundum numerum scibilium, sed etiam
secundum claritatem cognitionis. Quamuis igitur scien-

tia anima Christi, quam habet in Verbo, parificetur sci-
entia visionis, quam Deus habet in seipso, quantum ad nu-
merum scibilium: scientia tamen Dei excedit in infinitum,
quantum ad claritatem cognitionis, scientia anima Chri-
sti: quia lumen increatum diuini intellectus, in infinitum
excedit lumen creatum, quodcunque receptum in anima
Christi. Licet absolute loquendo, scientia diuina excedat
scientiam anima Christi, non solum quantum ad modum
cognoscendi, sed etiam quantum ad numerum scibilium,
vt dictum est.

Sensus quæstioni.

ITVLVM declarat S.D. in corpore, & Suar. com-
mentario ex eadem doctrina.

Forma Textus.

PROPOSITA distinctione cum vnus membrum
subdiuisione respondetur quæstio tribus con-
clusionibus.

Distinctio est: Cum queritur, an Christus co-
gnoscat omnia in Verbo: ly omnia potest dupli-
citer accipi: Vno modo proprie, vt distribuatur pro
omnibus, quæ quocunque modo sunt vel erunt
vel fuerunt, vel facta vel dicta vel cogitata à quo-
cunque secundum quodcunque tempus: Alio mo-
do potest accipi magis large, vt extendatur non
solum ad omnia quæ sunt acta secundum quod-
cunque tempus, sed etiam ad omnia quæcunque
sunt in potentia nunquam reducenda vel reducta
ad actum.

Subdiuisio est: Horum scilicet, quæ sunt in po-
tentia nunquam reducenda vel reducta ad actum,
quædam sunt in sola potentia diuina: quedam
non solum sunt in potentia diuina, sed etiam in
potentia creaturæ.

PRIMA CONCL. est: Anima Christi in Verbo co-
gnoscit omnia, quæ quocunque modo sunt vel erunt vel
fuerunt, vel facta vel dicta vel cogitata à quocunque se-
cundum quodcunque tempus. Probat: Quia vnus-
quisque intellectus creatus in Verbo cognoscit,
non quidem omnia simpliciter, sed tanto plura
quanto perfectius videt Verbum: ita tamen vt nul-
li intellectui beato deest, quin cognoscat omnia,
quæ ad ipsum spectant: sed ad Christum & ad ei-
us dignitatem spectant quodammodo omnia præ-
dicta: ergo: Maior relinquatur vt nota. Minor
probat: primo: quia illi subiecta sunt omnia: Se-
cundo: quia ipse est omnium iudex constitutus à
Deo, quia filius hominis est, vt dicitur Io. 5. Ter-
tio: quia sic id quod dicitur Ioan. 2. Ipse enim scie-
bat, quid esset in homine, potest intelligi non so-
lum quo ad scientiam diuinam, sed etiam quo ad
scientiam animæ eius, quam habet in Verbo.

SECUNDA CONCL. Anima Christi non cognoscit
in Verbo omnia, quæ sunt in sola potentia diuina. Proba-
tur: Quia si hæc omnia cognosceret, comprehē-
deret diuinam essentiam: quod est falsum: ergo.
Probat: sequela: Quia si cognosceret hæc com-
prehenderet diuinam virtutem: ergo etiam essen-
tiam. Antecedens probatur: quia comprehēde-
ret omnia, quæ Deus potest facere: ergo compre-
henderet diuinam virtutem: probatur sequela:
quia virtus qualibet comprehenditur per cogni-
tionem omnium, in qua potest.

TERTIA CONCL. Anima Christi scit in Verbo ea o-
mnia, quæ sunt non solum in potentia diuina, sed etiam in
potentia creaturæ: Probat: Quia anima Christi
comprehendit in Verbo essentiam omnis crea-
turæ: atq; adeo potentiam & virtutem: ergo om-
nia scit, quæ sunt in potentia creaturæ.

Expositio Textus.

OBSERVANDA hic est primo differentia illius
dictionis omnia in primo & in secundo mem-
bro distinctionis: In primo enim membro dici-
tur

tur sumi proprie: eo quod ea proprie & simpliciter tantum entia sunt, quibus esse conuenit in aliqua temporis differentia: & ideo proprie scire dicitur omnia scilicet entia, qui scit vniuersa, quibus esse conuenit in aliqua temporis differentia: in secundo vero membro dicitur eadem vox largi sumi: quia quæ sunt in potentia tantum, nec proprie nec simpliciter entia sunt, sed quodammodo & secundum quid, scilicet in potentia Expreßit autem S. D. in textu differentiam hanc ad Christi dignitatem secundum intellectum eius humanum clarius indicandam. Ex hoc enim quod proprie & simpliciter loquendo dicimus Christum hominem scire omnia, magnam illi tribuimus dignitatem: vt hic etiam aduertit Caietanus.

Secundo Aduerte duo hic beatis omnibus communia ab expositores examinari. Primum est circa primam conclusionem D. Tho. & eius probationem: Disputant enim Cai. & Medina *super hoc art.* & alij quidam recentiores, an & quomodo quilibet beatus in Verbo videat spectantia ad statum suum? de qua difficultate multa diximus in 1. p. q. 12. a. 10. *Contr. Vnica:* SECUNDO est circa secundam conclusionem, & eius probationem. Disputat enim Suar. *disp. 36. sect. 2.* & Vasq. *disp. 50.* & alij, an beati videant, aut videre possint in Verbo ea omnia, quæ sunt in sola Dei potentia, de quo late scripsimus in allegata q. 12. a. 8. & *contr. 3.* & præcipuum veritatis fundamentum explicat hic breuiter Caiet.

Tertio lege, si placet, apud expositores tria de scientia Christi beata. Primum est veritas primæ conclusionis, præsertim quo ad eam partem, quæ animæ Christi tribuit scientiam futurorum: de qua differunt Med. & Suar. in commentario circa responsionem ad primum D. Thom. Valentia puncto 2. Vasq. *disp. 51.* & Aluarez *disp. 54.*

Secundum est, de veritate secundæ conclusionis: de qua disputant Suar. in allegata *disp. 36. sect. 2.* & Vasq. *disp. 50.* vbi negat Christum, & alios beatos videre creaturam aliquam in Verbo formaliter, quod esse falsum ostendimus in 1. p. q. 12. art. 8. *controu. 1.*

Tertium est sensus & veritas tertiæ conclusionis: de quibus agunt Medina *dubio 3.* & Aluarez in expositione *textus.*

Quibus addendum occurrit per primam expositionem illorum verborum *Marci 13.* De die autem illo nemo scit neque Angeli in celo, neque filius, nisi pater Christum scilicet dici nescire diem iudicii, quia non facit scire, per hanc inquam expositionem quæ est apud S. Patres communissima, conuinci falsum esse dictum illud Suarezii in tertia dictorum verborum expositione, videlicet factas à Christo fuisse reuelationes aliquas de die iudicii: si namque dicitur nescire diem iudicii, quia non facit scire: igitur illum nunquam alicui reuelauit. Sed turpius errat Mald. asserens prædictam expositionem non esse admittendam: quia eadem ratione diceretur pater nescire diem iudicii, quia nobis non reuelauit: licet enim nobis diem illum pater siue Deus non reuelauerit, animæ tamen Christi reuelauit: & ideo scire dici potest ad reuelandum: Christus autem neque nobis, neque Angelis diem illum reuelauit: & ideo vere ac proprie nescire dicitur ad dicendum: vt etiam docet Abul. *Matth. 24. q. 206.* & Soto in 4. *dist. 43. q. 2. a. 2.* Cai. autem in commentario dicti cap. dubitat, an dies illa fuerit aliquibus Angelis superioribus reuelata: quæ dubitatio per dictam expositionem videtur excludi: reuelationes enim ad actiones Christi & mysteria redemptionis & glorificationis aut condemnationis hominum pertinentes

per Christum ad Angelos deriuantur: vt patet ex dictis *supra q. 8. a. 4.* vbi S. D. probat Christum esse caput Angelorum, & de *Ver. q. 29. a. 4.* præsertim ad 4 docet Angelos per Christum secundum humanitatem illuminari: quod idem asserit in *commentario Epist. ad Eph. cap. 1. lect. 8.* & probat autoritate Dion. *cap. 7. celestis Hierar. exponentis illud Isaia 63. Quis est iste, qui venit de Edom.* &c. de Angelis interrogantibus & Christo respondente.

Præterea aduertendum est, tertiam conclusionem intelligendam esse de cognitione distincta: alioquin nihil speciale diceret S. D. de visione animæ Christi, quo ad ea, quæ sunt in potentia naturali creaturæ: quilibet enim beatus visione sua beatifica, immo & Angelus cognitione sua naturali comprehendens omnia ad vniuersi perfectionem pertinentia cognoscit in communi, & indistincte effectus à rebus producibiles per earum potentias naturales: probatio autem D. Thom. supponit omnia, quæ sunt in potentia naturali cuiuslibet creaturæ, pertinere ad statum beatificum animæ Christi, si non formaliter & actualiter, saltem radicaliter & in potentia proxima. Ex quo fit consequens hæc omnia ab anima Christi distincte in Verbo videri: Itaque discursus D. Thom. non in sola fundatur comprehensione creaturarum in Verbo visarum, sed etiam in suppositione prædictæ: ex quo sequitur differentia inter animam Christi & alios beatos, quod naturale desiderium animæ Christi fertur non solum ad singulas rerum species, sed etiam ad vniuersa singularia sub speciebus comprehensa cognoscenda, siue ea sint actu quandoque in rerum natura, siue sint in sola potentia rei creatæ: Hæc enim omnia pertinent ad statum animæ Christi beatificum: Caterorum vero tam Angelorum, quam hominum naturale desiderium non fertur ad ea omnia indiuidua distincte scienda, quæ sunt in potentia cuiuslibet creaturæ, quia hæc ad nullius eorum statum pertinent, sicut neque cognitio singularium secundum talem essendi modum pertinet ad perfectionem intellectus absolute loquendo. Et ex his patet quid censendum sit de ijs, quæ scribunt prædicti duo expositores circa sensum tertiæ conclusionis S. Thomæ.

ARTICVLVS III.

Vtrum anima Christi in Verbo cognouerit infinita.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod anima Christi non possit cognoscere infinita in Verbo. Quod enim infinitum cognoscatur, repugnat diffinitioni infiniti, prout dicitur in 3. *Physic.* quod infinitum est, cuius quantitas accipientibus, semper est aliquid extra accipere. Impossibile autem est diffinitionem à diffinito separari: quia hoc esset contradietoria esse simul. Ergo impossibile est, quod anima Christi sciat infinita.

Præterea, Infinitorum scientia est infinita. Sed scientia anima Christi non potest esse infinita: est enim capacitas eius finita, cum sit creata. Non ergo anima Christi potest cognoscere infinita.

Præterea, Infinito non potest esse aliquid maius. Sed plura continentur in scientia diuina, absolute loquendo, quam in scientia anima Christi, vt dictum est. Ergo anima Christi non cognoscit infinita.

Sed contra. Anima Christi cognoscit totam suam potentiam, & omnia, quæ potest: Potest autem in emundationem infinitorum peccatorum: secundum illud *prime Ioan. 2.* Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non autem pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi. Ergo anima Christi cognoscit infinita.

Responsio.

Respondeo dicendum, quod scientia non est nisi entis, A
eo quod ens, & verum conuertuntur. Dupliciter autem di-
citur aliquid ens. Vno modo simpliciter, quod scilicet est
ens actu. alio modo secundum quid, quod scilicet est ens in
potentia. Et quia, vt dicitur in 9. Meta. vnumquodque
cognoscitur, secundum quod est actu, non autem, secun-
dum quod est in potentia: scientia primo, & principaliter
respicit ens actu, secundario autem respicit ens in poten-
tia: quod quidem non secundum seipsum cognoscibile est,
sed secundum quod cognoscitur illud, in cuius potentia ex-
istit. Quantum igitur ad primum modum scientia, ani-
ma Christi non sit infinita, quia non sunt infinita in a-
ctu, etiam si accipiantur omnia, quacunque sunt in actu,
secundum quodcumque tempus, eo quod status generatio-
nis, & corruptionis non durat in infinitum. Vnde est cer-
tus numerus, non solum eorum, que sunt abque genera-
tione, & corruptione: sed etiam generabilium, & corru-
ptibilium. Quantum vero ad alium modum sciendi, ani-
ma Christi in Verbo sit infinita: scit enim, vt dictum est,
omnia, que sunt in potentia creature. Vnde cum in poten-
tia creatura sint infinita, per hunc modum scit infinita,
quasi quadam scientia simplicis intelligentia, non autem
scientia visionis.

Ad primum ergo dicendum, quod infinitum (sicut in
prima parte dictum est) dupliciter dicitur. Vno modo se-
cundum rationem forme. Et sic dicitur infinitum negati-
ue, scilicet id, quod est forma, vel actus non limitatus per
materiam, vel subiectum, in quo recipiatur. Et huiusmo-
di infinitum, quantum est de se, est maxime cognoscibile
propter perfectionem actus, licet non sit comprehensibile à
potentia finita creature: sic enim dicitur Deus infinitus.
Et tale infinitum anima Christi cognoscit, licet non com-
prehendat. Alio modo dicitur infinitum secundum *ra-
tionem materie: quod quidem dicitur priuatiue, ex hoc
scilicet, quod non habet formam, quam natum est habe-
re: & per hunc modum dicitur infinitum in quantitate.
Tale autem infinitum ex sui ratione est ignotum: quia sci-
licet est quasi materia cum priuatione forme (vt dicitur in
3. Phys.). omnis autem cognitio est per formam, vel actum.
Sic ergo si huiusmodi infinitum cognosci debeat secundum
modum ipsius cogniti, impossibile est, quod cognoscatur:
est enim modus ipsius, vt accipitur pars eius post partem,
vt dicitur in 3. Phys. Et hoc modo verum est, quod eius quã-
ritatem accipientibus, scilicet parte accepta post partem,
semper est aliquid extra accipere. Sed sicut materialia pos-
sunt accipi ab intellectu immaterialiter, & multa vnite:
ita infinita possunt accipi ab intellectu non per modum in-
finiti, sed quasi finite: vt sic ea, que sunt in seipsis infini-
ta, sint in intellectu cognoscens finita. Et hoc modo ani-
ma Christi sit infinita: in quantum scilicet sit ea non dis-
currendo per singula, sed in aliquo vno, puta in aliqua
creatura in cuius potentia existunt infinita, & principaliter
in ipso Verbo.

Ad secundum dicendum, quod nihil prohibet aliquid
esse infinitum vno modo, quod est alio modo finitum: sic
ut si imaginemur in quantitatib. superficiem, que sit se-
cundum longitudinem infinita, secundum latitudinem
autem finita. Sic igitur, si essent infiniti homines nume-
ro, haberent quidem infinitatem secundum aliquid, scili-
cet secundum multitudinem: secundum tamen essentia
rationem haberent finitatem, eo quod omnium essentia ef-
fet limitata sub ratione vnius speciei. Sed id, quod est sim-
pliciter infinitum secundum essentia rationem, est Deus: vt
in prima parte dictum est. Proprium autem obiectum in-
tellectus est quod quid est (vt dicitur in 3. de anima) ad
quod pertinet ratio speciei. Sic igitur anima Christi pro-
pter hoc, quod habet capacitatem finitam, id quod est sim-
pliciter infinitum secundum essentiam, scilicet Deum, at-
tingit quidem: sed non comprehendit, vt dictum est. Id au-
tem infinitum, quod in creaturis est in potentia, potest cõ-
prehendi ab anima Christi: quia comparatur ad ipsam se-
cundum essentia rationem: ex qua parte infinitatem non
habet. Nam etiam intellectus noster intelligit vniuersale,

puta naturam generis, vel speciei: quod quodammodo ha-
bet infinitatem, in quantum potest de infinitis predicari.

Ad tertium dicendum, quod id, quod est infinitum o-
mnibus modis, non potest esse nisi vnum. Vnde & Philoso-
phus dicit in primo de Cel. quod quia corpus est ad omnem
partem dimensionatum, impossibile est esse plura corpora
infinita. Si tamen aliquid esset infinitum vno modo tan-
tum, nihil prohiberet esse plura talia infinita: sicut si intel-
ligeremus plures lineas infinitas secundum longitudinem,
protractas in aliqua superficie finita secundum latitudinem.

Quia igitur infinitum non est substantia quadam, sed
accidit rebus, que dicuntur infinita (vt dicitur in 3. Phys.)
sicut infinitum multiplicatur secundum diuersa subiecta:
ita necesse est, quod proprietas infiniti multiplicetur: ita
quod conueniat vnicuique illorum, secundum illud subie-
ctum. Est autem quadam proprietas infiniti, quod in fini-
to non sit aliquid maius. Sic igitur si accipiamus vnam li-
neam infinitam, in illa non est aliquid maius infinito. Et
similiter, si accipiamus quancunque aliarum linearum
infinitarum, manifestum est, quod vnicuique earum
partes sunt infinita, oportet ergo, quod omnibus illis parti-
bus infinitis non sit aliquid maius in illa linea: tamen in a-
lia linea, & in tertia erunt plures partes etiam infinite
præter istas. Et hoc etiam videmus in numeris accidere: nã
species numerorum parium sunt infinita, & similiter spe-
cies numerorum imparium, & tamen, numeri pares &
impares sunt plures, quam pares. Sic igitur dicendum est,
quod infinito simpliciter quo ad omnia, simpliciter nihil
est maius: infinito autem secundum aliquid determinatũ,
non est maius in illo ordine: potest tamen accipi aliquid a-
liud maius extra illum ordinem. Per hunc igitur modum
infinita est in potentia creatura, & tamen plura sunt in
potentia Dei, quam in potentia creatura, & similiter ani-
ma Christi sit infinita scientia simplicis intelligentie, plu-
ra tamen sit Deus secundum hunc scientia modum.

Sensus quæstioni.

DE infinitis hic sermo est indistincte siue in-
differentiter ad substantias & accidentia, vt
hic etiam aduertunt Caiet. & Med. & aperte satis
habetur in textu: quare non est audiendus Suar.
in com. dicens articulum hunc de infinita multitu-
dine substantiarum esse intelligendum. Verbum
etiam cognouerit indistincte sumendum est ad eam
cognitionem, quæ simpliciter & proprie scientia
visionis est, & ad eam quæ modum habet scienti-
æ simplicis intelligentiæ, vt patet in textu.

Forma Textus.

PRÆMISSA distinctione respondetur quæstio
duabus conclusionibus.

Distinctio est. Dupliciter aliquid est cognoscibi-
le: Vno modo secundum seipsum: vt ens in actu:
alio modo non secundum se ipsum, sed secun-
dum quod cognoscitur illud in cuius potetia ex-
istit: Probatur hæc distinctio. Quia dupliciter ali-
quid dicitur ens: Vno modo simpliciter, quod
scilicet est ens in actu: Alio modo secundum quid,
quod scilicet est ens in potentia: ergo dupliciter
aliquid est cognoscibile &c. Antecedens patet:
consequentia vero probatur: primo quo ad parti-
culam illam dupliciter, quia scientia non est nisi en-
tis: ergo si dupliciter aliquid dicitur ens, dicitur
dupliciter aliquid cognoscibile. Probatur hoc
assumptum: quia ens & verum conuertuntur.
Deinde probatur consequentia quo ad membro-
rum distinctionem dupliciter. Primo à priori:
Quoniam, vt dicitur in 9. Metaph. rex. 20. vnum-
quodque est cognoscibile, secundum quod est in a-
ctu, non autem secundum quod est in potentia:
ergo si dupliciter aliquid dicitur ens &c. sequitur
etiam dupliciter aliquid esse cognoscibile scilicet
secundum seipsum, & in alterius potentia.

Secun-

Secundo probatur eadem consequentia à posteriori: quia scientia primo & principaliter respicit ens actum: quod quidem secundum seipsum est cognoscibile: secundario autem respicit ens in potentia: quod non secundum seipsum est cognoscibile, sed secundum quod cognoscitur illud, in cuius potentia existit.

PRIMA CONCL. est. *Quantum ad primum modum scientia, quo cognoscitur aliquid secundum seipsum, siue pro ut est in actu secundum se, anima Christi non sit infinita, etiam si accipiantur omnia, quaecumque sunt actu secundum quodcumque tempus:* quia certus est numerus non solum eorum quæ sunt absque generatione & corruptione, sed etiam generabilium & corruptibilium: ergo. Antecedens probatur: quia status generationis & corruptionis non durat in infinitum.

SECUNDA CONCL. est. *Quantum ad alterum modum sciendi, quo cognoscitur aliquid in alterius potentia, anima Christi in Verbo sit infinita.* Probatur primo. Quia scit omnia, quæ sunt in potentia creaturæ: ergo scit infinita. Antecedens patet ex articulo præcedente: consequentia vero probatur: quia in potentia creaturæ sunt infinita: Deinde declaratur modus huius scientiæ dicendo illam inducere modum scientiæ simplicis intelligentiæ, quam magis scientiæ visionis.

Expositio Textus.

Prima dubitatio.

TRES circa primam conclusionem solent hic ab expositoribus moueri dubitationes: PRIMÆ est, quam excitat hic Cai. & Ferrar. in primo contr. gen. c. 69. & alii expositores super hoc articulo, & ante omnes Capr. in 3. dist. 14. q. 2. & Bergomas in Aurea Tabula Dubio 477. & 1215. quæ ex duobus emergit dictis S. Thom. Primum est in art. præced. in resp. ad 2. ubi ait animam Christi scire omnia, quæ Deus in seipso cognoscit scientia visionis. Secundum est in 1. p. q. 14. a. 12. ubi docet Deum scientia visionis cognoscere infinita: ex quib. euidenter sequitur oppositum primæ conclusionis huius articuli negantis animam Christi cognoscere infinita actu existentia secundum quodcumque tempus. Cui difficultati communiter omnes respondent dicentes S. Tho. hic loqui de substantiis, quibus proprie conuenit generari, & quæ sunt entia completa & subsistentia: quæ sola dicuntur entia simpliciter: quibus addit Aluar. accidentia permanentia: alibi vero sermonem esse dicunt de omnibus simul entibus quandoque futuris: inter quæ recensentur etiam entia successiua, præsertim spiritualia: ut cogitationes & affectiones Angelorum & hominum, quæ multiplicabuntur in infinitum. Videndi sunt Cai. Med. & Aluar.

Secunda dubitatio. De veritate primæ conclusionis. Infinita si mul esse posse, non in propria duratione mensurata, sed in eternitate tantum.

Secunda dubitatio est de veritate eiusdem primæ conclusionis: an scilicet anima Christi scientia visionis, qua videntur ea quæ sunt actualiter existentia, videat infinita: quam difficultatem optime versat ac erudite definit Aluar. disp. 55. nos hic summam præcipua colligimus fundamenta veritatis, quibus omnia dilui poterunt aduersarium argumenta.

Recolenda igitur sunt primo ea, quæ diximus in 1. par. q. 14. a. 13. in 3. contr. ubi ostendimus ex D. Tho. Capr. Cai. Ferrar. & aliis discipulis S. D. & ex Sanctis Patribus vniuersa illa, quibus esse conuenit in aliqua temporis differentia, præsentis scilicet aut præteriti vel futuri, vnicò nunc eternitatis indivisibili tanquam communi & excedente rerum omnium mensura contineri: ita ut tam præsentia quam præterita & futura secundum notitiam temporis aut cuiuscumque alterius durationis

mensuram sint actu secundum vnum & indivisibile nunc eternitatis præsentia: atque ideo tanquam præsentia videri possint non solum à Deo, sed etiam ab intellectu creato ad Dei visionem eternitate mensuratum eleuato: iuxta modum tamen & mensuram luminis gloriæ & prout statui congruit beatitudinis singulorum: ita ut soli Christo, ad cuius statum omnes pertinent creaturæ, conueniat vniuersa videre tam præsentia quam præterita & futura: Cum autem futura cogitationes & affectiones Angelorum & hominum sint infinita, necesse est eas omnes esse præsentis eternitati, tam essentiali quàm participata, ac proinde etiam fieri potest, ut ab intellectu & cognitione eadem eternitate mensurata simul omnes absque vlla successione videantur. Ad cuius ampliore intelligentiam.

Secundo recolendum est illud, quod diximus in allegata Contr. nimirum ea quæ sunt in eternitate tantum, & non in mensura propria suæ durationis, non habere esse simpliciter, id est sine addito, sed secundum quid, id est cum hac addita conditione diminuentis, scilicet in eternitate. Ex qua differentia sequitur alia, videlicet implicare contradictionem esse simul actum in propria mensura durationis numerum infinitum rerum successiuarum aut permanentium: haberet enim ille numerus ultimam vnitatem, & esset in aliqua specie numeri: quoniam hæc est propria ratio numeri, & nullam haberet ultimam vnitatem, nec ad vnam aliquam esset speciem determinatus, eo quod esset infinitus secundum suum esse simpliciter illi conueniens in propria suæ durationis mensura: Esse autem simul actum numerum infinitum siue successiuum siue permanentem, non in propria durationis mensura, sed in eternitate, quæ est excellens & est communis omnium durationum & rerum durantium mensura, nullam implicat contradictionem: quia res in eternitate præcise sumpta non habent esse simpliciter, & multitudinè, quatenus est in eternitate, nulla debetur ultima vnitatis aut determinata species, eo quod in eternitate non habet esse simpliciter: sicut nec successiua, pro ut existunt in eternitate, successionem habent, sed simul actum sunt: Et quia maior est eternitatis latitudo, quam totius temporis quomodocumque sumpti simul accepti, puta continui, discreti &c. ideo tota temporis sic accepti latitudo, quamquam sit infinita, sub eternitatis infinita comprehenditur latitudine, & eadem ratione multitudo infinita rerum tam permanentium, quam successiuarum ab eadem ut excedente mensura comprehenditur eternitatis latitudine. Et sicut in infinita illa multitudine nulla vere est vnitatis ultima, qua multitudo illa determinetur ad speciem: ita nec ab vllò intellectu aut actu cognitionis eternitate mensurato videtur aut videri potest in infinita illa multitudine aliqua vnitatis ultima: sed Deus & anima Christi sic distincte singulas illius multitudinis intuetur vnitates, ut nullam in eis videat esse postremam, ut cum Capr. declarauimus 1. p. q. 14. a. 12. Contr. vnicam.

Tertio sciendum est, propositionem omnem affirmatiuam de futuro reducibilem esse ad aliquam propositionem de præsentis siue de inesse, sed non eodem modo: Nam quædam est immediate reducibilis ad propositionem de præsentis, ut hæc *Antichristus erit*, si vera esse debet, reducenda est ad hanc de præsentis: *Antichristus est*: quæ pro tempore generationis & durationis Antichristi, certam habitura est veritatem: Quædam autem non immediate, sed mediate tantum est reducibilis ad alteram de præsentis: quales sunt omnes illæ propositiones.

positiones, in quibus verbum est numeri pluralis: sicut hæc infinitæ cogitationes, aut affectiones sunt, non est immediate reducibilis ad hanc: infinitæ cogitationes, aut affectiones sunt: primo, quia nullum potest esse tempus præsens, in quo verum sit esse simul actum cogitationes aut affectiones infinitas. Secundo, quia verbum erunt idem pollet, quod erit & erit: Est igitur illa propositio infinitæ cogitationes erunt in suas singulares de futuro resoluenda dicendo: hæc cogitatio erit, illa cogitatio erit, & sic de singulis: Deinde quælibet singularis de futuro reducenda est ad suam singularem de presenti: puta hæc cogitatio est, pro illo scilicet tempore, quo verum erit dicere hæc cogitatio est, &c.

Quarto notandum est ex Caiet. Medina & Aluar. super hoc art. modum cognitionis, præsertim excellentis, qualis est visio beatifica, esse diuersum immo & oppositum modo, quo res producuntur in esse & in propria durationis mensura. Nam in excellenti cognitione plura simul adunantur ad vnam speciem simul ea distincte repræsentantem: ut patet de speciebus intelligibilibus Angelorum: quod multo magis conuenit essentia diuinæ per lumen gloriæ beatorum intellectui copulatæ. In rerum autem productione res prius in causa simul existentes, & vnum in ea tantum esse habentes in plura esse distincta realiter & singulis propria distinguuntur: quo fit ut, licet impossibile sit infinita simul actum produci aut existere, possint tamen infinita vna simul specie repræsentari, & vno cognitionis actu comprehendere.

Quinto Videnda sunt ea, quæ diximus in 1. p. q. 14. a. 12. de modo, quo Deus infinita cognoscit, & de modo loquendi per propositiones.

Visiōem animæ Christi ex sua perfectione ad infinita categorice terminari.

Sexto Notanda est doctrina Cai. circa responsonem ad secundum argumentum D. Tho ubi docet visionem animæ Christi habere perfectionem altioris ordinis, secundum quam non solum æquualet, sed etiam excedit infinitas cognitiones terminabiles ad infinita, & tamen eam non esse simpliciter infinitam: quod idem affirmat 1. p. q. 12. a. 10. & ante eum significauerat Capreol. in 3. dist. 14. q. 2. a. 3. & eandem doctrinam sequitur Medina super hoc art. Sed obseruandum est, visionem animæ Christi ad duo cognitionū genera posse comparari: Primum est cognitio ordinis naturalis, quæ ad res secundum proprias earum naturas, aut etiam existentias immediate terminatur: & huius comparatione certum est non solum visionem animæ Christi, sed etiam visiones omnium beatorum esse longe altioris ordinis: & ideo quamlibet beatificam visionem æquualere infinitis numero & specie cognitionibus sub ordine naturali cōprehensibilibus: ac proinde posse vnam numero beatam visionem ex sua finita perfectione ad infinita singularia vel etiam species terminari: quæ non nisi per infinitas cognitiones naturalis ordinis possent attingi. Nec tamen id omni conuenit visioni beatificæ: quia id nō omni congruit statui beatorum. Alterum genus cognitionis cui comparari potest visio animæ Christi, est visio cæterorum ordinum beatorum: huius enim comparatione visio animæ Christi est altioris ordinis eo modo, quo gratia Christi capitalis, atque adeo gloria dicitur esse altioris ordinis, quā gratia & gloria cæterorum. Sed quomodo ex hoc superioritatis modo sequatur vnam visionem animæ Christi æquualere infinitis aliorum beatorum visionibus, nō plane video: quia perfectio visionis animæ Christi non est alterius ordinis essentialiter à perfectione essentiali visionis aliorum beatorum, sed quo ad modum tantum: sicut etiam de gratia capitali supra dictum est. Vtramque tamen com-

parationem attingit Cai. primam quidem in hoc art. secundam autem in prima parte loco notato, quam etiam tuetur Medina.

Septimo Considerandum est plura obiecta numero finita aut infinita dupliciter cognosci posse: Vno modo in seipsis: & hoc modo cognitio quæ ad plura terminatur obiecta perfectior est, cæteris paribus, ea quæ ad pauciora terminatur: dico autem cæteris paribus, propter intensiōem attentionis, quæ (naturaliter loquendo) quando terminatur ad plura, minor est respectu singulorum, quam sit quando terminatur ad pauciora. Alio modo cognosci possunt illa plura non in seipsis immediate, sed in aliquo obiecto primario prius cognito, in quo virtualiter & repræsentatiue contineantur: & hoc modo verum non est, quo plura, etiam si sint infinita vnius ordinis, cognoscuntur eo cognitionem esse perfectiorem: Quia cognitionis perfectio non ex obiecto secundario sed ex primario tantum attenditur: ita ut iuxta modum cognitionis obiecti primarii sit modus perfectionis in cognitione. Et quia per cognitionem obiecti primarii finitam videri possunt obiecta secundaria infinita vnius ordinis, aut etiam plurius, licet non omnium ordinum: ideo ex visione cognitionum & affectionum infinitarum non recte infertur infinitas simpliciter in ipsa visione, ut scite Cai. aduertit 1. p. q. 12. a. 10. ubi distinctionem prædictam significans ait: Videre finita, aut infinita in Deo non specificat, aut per se modificat, seu quantificat visionem Dei: sed eius causa scilicet perfectus, aut imperfectus videre Deum: Nec valet: videt adeo perfecte, ut videat infinita: ergo videt infinite: quia visio infinita vnius ordinis restant infinita alterius ordinis, & visio illis restant alia.

Ex quo patet quod sancta sit perfectio cognitionis.

Vltimo Notandum est, cum dicimus Deum aut animam Christi videre vno actu infinita dupliciter intelligi posse: Vno modo de infinitis syncategorematicæ: Alio modo de infinitis categoricæ: & utroque modo in bono sensu admitte potest Deum & animam Christi videre infinita. Ad cuius euidentiam, supposita dictorum terminorum cognitione, aduertendum est distinctiones illas categoricæ & syncategorematicæ significare duos modos oppositos, scilicet simultaneus & successiōis partis post partem: Qui modi possunt se tenere vel ex parte rei cognita: puta multitudinis infinitæ cognitionum aut affectionum: & ita cum dico multitudinem cognitionum esse infinitam categoricæ, significo talem multitudinem esse simul actu secundum se totam: cum autem dico eandem multitudinem esse infinitam syncategorematicæ, significo eam non esse actu secundum omnes suas partes, sed illi fiendam esse aut fieri posse additionem usque in infinitum & absque vllō termino. Sed rursus hi duo modi infinitatis dupliciter intelligi possunt se tenere ex parte rei: Vno modo, prout res illa, quæ dicitur infinita, consideratur ut existens in mensura propria, puta in mensura temporis continui vel discreti: & ita verum est esse non posse multitudinem infinitam categoricæ, ut probat Sanct. Doct. in 1. quasi. 7. art. 4. quamuis esse possit & vere sit in rebus multitudo infinita syncategorematicæ: multiplicabuntur enim absque termino cogitationes & affectiones hominum: quamuis illæ semper finitæ sint, quæ sunt actu simul. Alio modo potest intelligi prædictos duos modos se tenere ex parte rei, prout est in mensura æternitatis: & ita certum est esse simul actu multitudinem infinitam cognitionum & affectionum præciso quocunque cognitionis actu, ut ante diximus. Possunt præterea duo

Infinita dupliciter sumi: prout videtur posse.

præ-

prædicti modi se tenere ex parte cognoscentis si-
ue cognitionis, & ita certum est quemlibet intel-
lectum creatum posse cognoscere syncategorema-
tice multitudinem infinitam: quia potest talis
multitudinis partem post partem usque in infinitum
cognoscere: certum est etiam illum intellectu-
tum creatum, cuius species potest simul actu in-
finita representare, posse simul ea vno cognitio-
nis actu cognoscere: ut patet de speciebus Ange-
lorum representantibus actu simul infinitas spe-
cies numerorum & figurarum: & multo magis id
potest essentia Dei non respectu solum intellectus
diuini, sed respectu etiam alicuius intellectus crea-
ti & præsertim animæ Christi. Cum ergo quaeri-
tur: An Deus vel anima Christi videat infinita ca-
thegorematice vel syncategorematice respon-
dendum est cum distinctione: Nam si dictio illa
cathegorematice dicat modum se tenentem ex par-
te rei, prout est in propria suæ durationis mensu-
ra, nullus intellectus potest infinita cognoscere:
quia implicat esse in rebus creatis aliquid infinitum
cathegorematice: si vero dicat modum se te-
nentem ex parte rei prout est in æternitate, aut
modum se tenentem ex parte cognitionis, dicen-
dum est Deum & animam Christi Domini cogno-
scere infinita cathegorematice, non autem syncate-
gorematice: quia nec in æternitate, nec in actu
diuinæ cognitionis aut visionis beatificæ ulla suc-
cessio est, sed omnia simul actu sunt.

TERTIA DVBITATIO est de modo, quo ani-
ma Christi visione beatificæ certo cognoscit futu-
ra contingentia, præsertim libera: cui satisfacit o-
ptime Didacus Aluar. d. sp. 55. in solutione 2. confirm.
pro 6. suo argum.

VLTIMA DVBITATIO est: An scientia animæ
Christi in ratione scientiæ sit infinita simpliciter: cui
breuiter respondet Medina 6. suæ conclusionē: sed
late ac erudite versat ac definit eam Aluarez di-
sputat. 56.

ARTICVLVS IV.

Vtrum anima Christi videat Verbum, siue diui-
nam essentiam clarius qualibet alia
creatura.

Sup. q. 9. a. 2.
co. & infra
q. 11. art. 5.
ad 1.

q. 12. ar. 1.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod anima
Christi non perfectius videat Verbum, quam quali-
bet alia creatura. Perfectio enim cognitionis est secundum
medium cognoscendi: sicut perfectior est cognitio, quæ ha-
betur per medium syllogismi demonstratiui, quam quæ
habetur per medium syllogismi dialectici. Sed omnes Beati
vident Verbum immediate per ipsam diuinam essentiam, ut
in Prima parte dictum est. Ergo anima Christi non
perfectius videt Verbum, quam qualibet alia creatura.
Præterea: Perfectio visionis non excedit potentiam vi-
suum. Sed potentia rationalis animæ, qualis est anima
Christi, est infra potentiam intellectiuam Angeli: ut patet
per Dionys. 4. ca. Cælest. Hier. Ergo anima Christi non per-
fectius videt Verbum, quam Angeli.

Præterea: Deus in infinitum perfectius videt Verbum
suum, quam anima. Sunt ergo infiniti gradus medijs possi-
biles inter modum, quo Deus videt Verbum suum, & in-
ter modum, quo anima Christi videt ipsum. Ergo non est
asserendum, quod anima Christi perfectius videat Ver-
bum, vel essentiam diuinam, quam qualibet alia crea-
tura.

Sed contra est, quod Apost. dicit ad Ephes. 1. quod Deus
constituit Christum ad dexteram suam in cælestibus supra
omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & do-
minationem, & omne nomen, quod nominatur, non so-
lum in hoc seculo, sed etiam in futuro. Sed in illa cælesti glo-
ria tanto aliquis est superior, quanto perfectius cognoscit

Deum. Ergo anima Christi perfectius videt Deum, quam
quævis alia creatura.

Respondeo dicendum, quod visio diuinæ essentiae conue-
nit omnibus Beatis, secundum participationem luminis
deriuati in eos à fonte Verbi Dei: secundum illud Eccl. 1.
Fons sapientiæ, Verbum Dei in excelsis. Hinc autem Verbo
Dei propinquius coniungitur anima Christi, quæ est vnita
Verbo in persona, quam quævis alia creatura. Et ideo ple-
nius recipit influentiam luminis, in quo Deus videtur ab
ipso Verbo, quam quæcunque alia creatura. Et ideo præ
ceteris creaturis perfectius videt ipsam primam veritatem,
quæ est Dei essentia. Unde dicitur Ioan. 1. Vidimus glo-
riam eius, quasi vnguenti à Patre, plenum non solum
gratiæ, sed etiam veritatis.

Ad primum ergo dicendum, quod perfectio cognitionis,
quantum est ex parte cogniti, attenditur secundum ma-
dum: sed quantum est ex parte cognoscentis, attenditur se-
cundum potentiam, vel habitum. Et inde est, quod etiam
inter homines per vnum medium, vnus perfectius cognoscit
aliquam conclusionem, quam alius. Et per hunc modum,
anima Christi, quæ abundantiori repletur lumine, perfe-
ctius cognoscit diuinam essentiam, quam alij Beati: licet
omnes ipsam Dei essentiam videant per seipsam.

Ad secundum dicendum, quod visio diuinæ essentiae ex-
cedit naturalem potentiam cuiuslibet creature: ut in Pri-
ma parte dictum est. Et ideo gradus in ipso attenditur ma-
gis secundum ordinem gratiæ, in quo Christus est excellen-
tissimus, quam secundum ordinem naturæ, secundum quem
natura Angelica præfertur humane.

Ad tertium dicendum, quod sicut supra dictum est de q. 7. ar. 11.
gratiæ, quod non potest esse maior gratia, quam gratia
Christi, per respectum ad vnionem Verbi: idem etiam di-
cendum est de perfectione diuinæ visionis, licet absolute
considerando, possit esse aliquis gradus altior, sublimiorque
secundum infinitatem diuinæ potentie.

Sensus quaesiti.

DICTIONEM illam clarius, quæ præcipua est in
hoc quaesito, declarat S. D. in corpore, & ad 1.
dicendo maiorem visionis claritatem attendi pe-
nes maiorem luminis influentiam.

Forma Textus.

CONCL. est: Anima Christi præ ceteris creaturis
perfectius videt ipsam primam veritatem, quæ est Dei
essentia. Probatur: quia visio diuinæ essentiae cõ-
uenit omnib. beatis secundum participationem
luminis deriuati in eos à fonte Verbi Dei: sed ani-
ma Christi plenius recipit influentiam diuinæ lu-
minis, in quo Deus videtur, ab ipso Verbo, quam
quæcunque alia creatura: ergo præ ceteris crea-
turis perfectius videt &c. Maior probatur ex illo
Eccl. 1. Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis: Minor au-
tem probatur: quia anima Christi propinquius
coniungitur Verbo, quam qualibet alia creatu-
ra: ergo plenius recipit &c. Antecedens probat-
ur: quia anima Christi est vnita Verbo in perso-
na: ergo.

Expositio Textus.

IRCA responsiones ad secundum & tertium ar-
gumentum S. Tho. docet Cai. pari existente lu-
mine gloriæ in homine, & Angelo perfectius
Angelum videre Deum, quam videat homo: &
ideo (inquit) si ad æquale lumen gloriæ Angelus
assumeretur à Verbo Dei in vnitatem personæ,
Angelus ille perfectius videret Deum, quam ani-
ma Christi &c. quam doctrinam acriter reprehē-
dunt Med. & Suar. super hoc art. & alij discipuli D.
Th. 1. p. q. 12. a. 6. Sed nos ibi sensum exposuimus
Caiet. & aliorum obiectionis satisfecimus: quem di-
cendi modum approbat, & sequitur Aluar.

lib. 3. de diuinis auxilijs, disp. 63. &
super hoc artic.

QVÆ-